



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio III. De Fundamentis Relationum & requisitis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

objectis extrinsecè, intrinsecè autem à sua entitate, licet nobis ignota. Vel certe sumitur etiam tunc actus, secundum quod relativum quoddam est.

Objicit. IV. Maur: hic qu. 53. probando potius non dari Transcendentales relationes aut si dantur debere esse superadditas, quicquid sit de mente illius, pensanda sunt argumenta. Si daretur quocunque sensu relatio Transcendentalis, deberet esse identificata absolutæ substantiæ, sed non potest esse identificata quia Arist. dicit cap. de Relativis quod Substantiæ completæ, non sint relativæ per se ipsas. Et 14. Metaph. r. 4. docet etiam partiales substantias, non esse relativæ per se ipsas.

RESPONDETUR. Ad hos textus salvandos sufficit dicere, quod ly per se ipsas, supponat pro primo essentialiter. Concedimus autem quod substantiæ non sunt primo essentialiter relativæ: quod autem inde non debeat inferri, quod relativa transcendentaliter referantur relatione distincta, colligi debet ubi actum de distinctione relationis.

Objicit. V. Idem. Videtur per se notum, quod sicut esse in alio, est esse proprium accidentis, & fundatur in esse per se, quod est proprium Substantiæ, sic esse ad aliud quod est proprium relationis, fundatur in esse absoluto: sed si relatio identificaretur cum Substantia, esse relativum non fundaretur in ullo absoluto, nam esse substantiale est esse primum, & non fundatum in alio esse priori. Ergo.

RESPONDETUR. Ad hoc ut salvetur quod esse relationis fundetur in aliquo absoluto sufficit dicere quod relatio transcendentalis supponat primo essentialem conceptum absolutum.

Instat. I. Ex debilitate esse in sequitur ut non possit cum Substantia identificari: esse autem ad est debilius præ esse in.

RESPONDETUR. Non apparet qui esse ad sit istud esse debilissimum & in identificabile, cum de facto identificetur Substantiæ divinæ. Etiam posita ista debilitate esse ad non ex debilitate hoc habet accidens, quod non possit identificari Substantiæ sed ex separabilitate entitativa, quæ non potest ostendi circa esse ad. Denique etiam esse in Metaphysicum, potest identificari cum Substantia, ergo idem dicendum de relatione transcendentali.

Instat. II. Etiam in DEO esse relativum v.g. Patris fundari debet in esse absoluto Dei, cum quo licet identificetur realiter, non identificatur omnimodè, ergo multo minus id erit in creatis.

RESPONDETUR. Quod relatio distinguatur virtualiter à Deitate, id oritur præcisè ex

eo, quia aliquod prædicatum reale primo intentionale, debet convenire relationi, quod non convenit Deitati v. gr. esse distinctum realiter, & quia nihil simile ostenditur in relatione transcendentali, poterit illa identificari absolutis, licet non sit de primo essentiali conceptu eorundem.

Instat. III. Omnis relatio definitur per additamentum, ponendo in definitione terminum, Substantia autem debet definiri sine ullo additamento.

RESPONDETUR. Substantiam primo essentialiter spectatam debere definiri non per terminum, potest tamen ita definiri secundo essentialiter spectata.

QUÆSTIO III.

De Fundamentis Relationum & requisitis.

Quod attinet ad fundamenta, tria numeravit Arist. 5. Met. tex. 20.

PRIMA FUNDAMENTUM Relationum est, Unitas & Numerus, hoc est Convenientia & disconvenientia, & quia convenire possumus vel in substantia, vel in Qualitatibus, vel in Quantitate, Unitas, in Substantia fundabit identitatem, Unitas in Qualitate similitudinem, Unitas in Quantitate Aequalitatem.

II. FUNDAMENTUM est Actio & Passio, quorum enim unum agit, & aliud ab illo efficitur, necessario hæc referuntur inter se.

III. FUNDAMENTUM est Mensura, & Mensurabile, & hoc fundat omnes Relationes Potentiarum, Habiruum, Scientiarum, Actuum ad Objecta. Nomen enim hoc Mensura, non indicat Quantitatem, sed adæquationem duorum, secum connexorum, unumque per aliud determinatur. Cæterum fundamenta hæc, non sunt verbis accuratis expressa, unitas enim & numerus, non sunt fundamenta, sed potius ratio fundandi; Item nec actio aut passio, quæ quidem sunt ratio fundandi, unde potius potentia activa & passiva, dici deberet fundamentum.

Ad prædicta fundamenta, revocantur quæcunque aliæ Relationes. Unde Propinquitas, cum sit unitas secundum locum, Coætaneitas, seu coexistentia, cum etiam sit unitas secundum tempus, revocabitur ad unitatem; Convenientia item Accidentium revocabitur ad Identitatem, nam quamvis duo alba, ad se referantur unitate similitudinis, quia similia sunt, quorum Qualitas eadem est, duæ tamen albedines, quæ habent in suo genere talem convenientiam, qualem homo, & homo, ideo etiam referuntur ad se relatione identitatis. Distantia item, quæ est discon-

disconvenientia in loco, antiquitas item comparata ad modernitatem, cum sit disconvenientia in tempore, revocabitur ad disconvenientiam seu numerum, Unio & cætera quæ habent se, quasi per modum Causæ, revocabuntur ad actionem. Materia autem & Formæ relationes, revocabuntur ad Mensuram, Formæ enim & Materia, sunt secum connexa, capacitasque Materiæ, mensuratur à forma; Vel certè revocantur ad Actionem & Passionem, Materia enim & Forma sunt causæ. Relatio etiam dimidii, & duplum, potest revocari ad actionem, causat enim dimidium, rationem dupli, dando se ei in partem, vel certè revocatur ad Mensuram. Denique relationes Transcendentales, revocantur vel ad tertium, vel ad secundum fundamentum seu ordinem.

Quod attinet ad Requisita, idg. ut supponitur, Relationis realis, ea tria potissimum numerantur. 1. Ut illius extrema sint realia, ita quod in ratione fundandi, & terminandi ab intellectu non dependeant, 2. Ut sint realiter distincta, idem enim ad se ipsum referri non potest. 3. Ut relatio illorum non oriatur, per aliquam Comparisonem ab intellectu institutam, sed ex Natura Extremorum. Et quidem, quod Relatio realis, debeat esse inter distincta realiter, exigit vel ipsa definitio relationis, nempe ly, ad aliud, nihil autem sibi ipsi aliud est, unde etiam Theologi, ex relatione Patris ad Filium, arguunt distinctionem realem in Divinis.

DIFFICULTAS I.

An idem possit ad se referri Relatione saltim Transcendentali?

DICENDUM EST. *Quod non possit.* Ita Suar. Ovied. contra Ruiz. d. 5. de scient. f. 2.

PROBATUR I. Quia & esset illa Relatio Transcendentalis, Relatio realis, de hac enim instituitur quæstio, & non esset realis, quia Relatio realis, requirit esse ad aliud realiter, ergo & relatio realis Transcendentalis requirit esse ad aliud realiter Transcendentaliter. Et certè non haberet illa relatio, per quid distingueretur à relatione non nisi Rationis, quod quidem procedit magis in sententia, quæ solam adhuc relationem Transcendentalem, dicit esse relationem realem.

PROBATUR II. Sola distinctio Rationis, non sufficit ad ponendam Relationem Transcendentalem, quia implicat ut identitas rigorosa, seu non ad aliud, sit ad aliud, & tamen rigorosa identitas, per se, esset respectiva, seu ad aliud.

PROBATUR III. Ovied. Illud per oppositos refertur relatione Transcendentali, quod non potest intelligi sine alio. Ergo respectus Transcendentalis, semper est respectu alijs, ergo non ad se ipsum.

OBJICITUR I. Auctoritas S. Thomæ, 1. parte, q. 19. a. 3. in 6, ubi docet S. Th. quod divina voluntas, necessariam habeat habitudinem, ad bonitatem suam, quæ est proprium ejus objectum, Ergo aliquid potest ad se ipsum referri.

RESPONDETUR. In illo loco intentionem fuisse S. Th. ostendere, quòd DEUS aliqua amet, necessitate antecedenti, & hoc est, ipsamet bonitas illius essentialis, & alia amat necessitate consequenti, ut ergo S. Th. significaret DEUM amare semet ipsum, necessitate antecedenti, dixit divinam voluntatem habere habitudinem ad suam bonitatem. Deinde nihil loquitur S. Th. quòd illa habitudo sit realis.

OBJICITUR II. ex Ruiz: Ratio Transcendentalis in eo consistit, ut res absoluta, non possit cognosci, sine alio cognito in obliquo, sed divina cognitio divinam essentiam cognoscens, cognosci non potest, quin cognoscatur in obliquo, ipsa essentia divina. Ergo cognitio divina non potest cognosci sine relatione ad essentiam divinam adeoque ad seipsam.

RESPONDETUR. Inprimis, non in hoc consistit relatio Transcendentalis, sed posito, quod in hoc consistat, tunc illa erit, si res absoluta non possit cognosci, sine alio, quod sit aliud realiter, non autem quod sit aliud sola ratione, non autem est aliud à se, ipsa essentia divina, se cognoscens.

OBJICITUR III: A pari.

I. PARITAS. Cognitio cognoscens objectum à se distinctum realiter, refertur ad illud objectum, relatione Transcendentali, ergo, & referetur sic, etiam cognoscens objectum à se non distinctum:

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia in casu Antecedentis ob distinctionem realem salvatur esse ad aliud reale, adeoque Relatio realis, hoc autem non habetur in casu consequentis:

II. PARITAS. Identitas non obstat, quominus divina cognitio denominet essentiam divinam cognitam, ergo & relatum.

RESPONDETUR. Quia non est de definitiva ratione cognitionis esse ad aliud, est de definitiva ratione relationis.

III. PARITAS. Cognitio potest cognoscere se ipsam, ergo & referri ad seipsam.

RESPONDETUR. Per allatam immediatè disparitatem.

DIF.

DIFFICULTAS II.

An ad realem relationem, diversa ratio fundandi, sit necessaria?

Sensus tituli est: Ponatur una eademq; numero albedo in Petro & Paulo, quæritur, an illi sint referendi inter se relatione reali? Thomistæ negant, affirmant Scotistæ.

DICENDUM EST. *Interventuram tunc Relationem Realem.*

PROBANT I. SCOTISTÆ. In dicto casu, reperiuntur, omnes tres conditiones ad relationem requisitæ, scilicet essent Extrema realia, Realiter distincta, citra item comparationem Intellectus essent Similia. Ergo illic esset Relatio realis.

RESPONDERI POTEST, deesse diversam Rationem fundandi, unde hoc fundamentum, deberet aliter propeni.

PROBARI II. POTEST. Similitudo fundatur supra unitatem, major autem esset unitas convenire in una numero, Ratione fundandi, quam in una vel genere, vel specie, cur ergo hæc major unitas, non erit sufficiens ad fundandam Relationem realem; & certè major est unitas inter Petrum & Paulum, quia Ratio fundandi, est una Specie, minor autem est unitas inter Petrum, & Bucephalum, quia Ratio fundandi, est una genere, & utraq; hæc ratio unitatis fundat Relationem Realem, cur ergo eam non fundabit albedo eadem numero, & in hoc & in illo extremo posita.

RESPONDERI POTEST, ex unitate quidem convenientiæ argui Relationem, hæc enim plurimum est, non tamen ex unitate, quæ est identitas, aliàs quia maxima est identitas, ejusdem ad se, referri quidpiam posset realiter ad se. Solum ergo admitti posset, quod identitas cæteris paribus fundet Relationem, quæ hic non habetur ob defectum diversæ Rationis fundandi.

PROBARI SOLET III. Possunt extrema habentia eandem Specie albedinem ad se referri, Relatione reali, ergo & habentia eadem numero Qualitatem possunt ad se referri.

RESPONDERI POSSET. Extrema habentia eandem Specie albedinem ideo ad se referri, quia habent, per quod salventur ad aliud, nempe diversam albedinem seu Rationem fundandi, quæ non esset, si eadem numero albedo poneretur in duobus extremis. Potius ergo.

PROBANDA EST CONCLUSIO IV. Per Principium Negativum, quando sunt Termini realiter distincti, & in quolibet termino est effectus formalis albedinis, nempe quod termini denominentur albi, quantumvis ab eadem albedine numero, non est inquam fun-

damentum, quare illi Termini, & denominata, non referentur ad se, Relatione reali. Ergo referentur ad se, Relatione reali.

PROBATUR V. Quia quantumvis albedo illa in duplici subjecto posita, non sit & hæc, & illa albedo, adeoq; nec interveniat illius ad se Relatio realis, tamen est illic & hoc album, & illud album, Ergo & erit illic Relatio realis, ipsorum subjectorum, quia Relatio realis in albedine est hoc album, & illud album, quod tamen tunc reperitur.

OBJECITUR I. Deest illic Ratio fundandi distincta, ergo & deerit Relatio vera realis.

RESPONDETUR. Non repugnare, ut sint diversæ Relationes, etiam posita eadem ratione fundandi, modo sint diversi Termini, eodq; quod diversitas hæc non debeat spectari penes rationem fundandi, sed penes ipsa extrema diversa.

INSTAB. Relatio non potest esse, sine Ratione fundandi, ergo & Relatio diversa, sine diversa Ratione fundandi.

RESPONDETUR. Etiam illic suo modo ostendi diversam fundandi Rationem, non quidem diversam, quoad entitatem, rationis fundandi, est enim eadem numero albedo, sed est diversa, ratione diversi modi unionis, unitatis illam Rationem fundandi, aut potius est diversa, ratione diversi Subjecti, cui se communicat.

OBJECITUR II. Prius debent ad se Rationes fundandi referri & illis mediantibus ipsa Subjecta, sed Rationes fundandi in casu in quo in duobus subjectis, eadem albedo poneretur, non referentur ad se. Ergo neque illa extrema referentur ad se.

RESPONDERI posset ex doctrina Mastrit d. 8. Log. q. 7. ad finem. *Subjectum inquit ille, non dicitur simile relatione fundata, v. g. in albedine abstractè accepta, sed in albedine ut tribuitur subjecto, effectum suum formalem: in casu autem posito alium effectum formalem, albedo posita in pariete A, & alium effectum formalem in pariete B. præstaret, ita ut effectus illi sint inter se à parte rei distincti, quia destructo, effectui formali, qui est in pariete A, potest manere effectus formalis, qui est in pariete B.*

HÆC RESPONSIO NON SATISFACIT. Tum quia hoc ipsum probandum esset contra Thomistas, quod extrema non dicantur similia ex præsupposita relatione, quam inter se albedines abstractè acceptæ habent. Tum quia malè ex hoc arguitur distinctio à parte rei, eaq; realis, quia scilicet, destructio effectui formali albi, in pariete A, manet tamen, effectus formalis in pariete B, certè enim, destructa sacramentali præsentia Christi, sub speciebus Sacramentalibus hic, non destruitur præsentia ejusdem alibi, non tamen sequetur inde, Christum hic existentem, & Christum ibi existentem, esse quid à parte rei distinctum.

Tum

Tum quia negatur esse à parte rei distinctio-
nem simpliciter inter effectum formalem in
isto & illo pariete positum. Ratio est, quia effe-
ctus formalis involvit etiam formam, quæ ta-
men est eadem ibi posita, quomodo ergo, dice-
tur effectus formalis, simpliciter, & sine addito
distinctus.

RESPONDETUR II. Ordinariè debent
prius referri ad se, ipsæ Rationes fundandi v.
g. albedines ipsæ, cum enim ipsæ albedines
inter se possint referri, & in diversis subjectis
naturaliter non ponantur nisi diversæ, hinc
prius ordinariè ad se referuntur, tanquam
priores in linea albi, sed negatur de essentia
Relationis realis esse, ut prius inter se rationes
Fundandi referantur, quia etiam non intelli-
gendo, illas ad se referri, adhuc ibi sunt duo
alba, adeoq; adhuc habentia Relationem albi,
quæ in re non aliud est, quàm duo alba.

OBJICIT. III. Illa ipsa albedo posita in
pariete A, & in pariete B, non refertur ad se,
ergo nec illa duo extrema, quæ eandem ha-
bent albedinem.

RESPONDETUR. Disp. esse, quia in casu
Antecedentis non posset salvari ad aliud, ni-
hil enim sibi ipsi est aliud, adeoq; nec salvari
posset Relatio, quia autem duo alba, licet ea-
dem albedine dealbata, sunt aliud, & aliud
album, ideo etiam salvare possunt rationem
Relationis.

DIFFICULTAS III.

*An una Relatio possit esse fundamen-
tum alijs?*

NEGAT S. Th. I. par. q. 42. a. 1. ad 4. Affir-
mat Scot. in 2. dist. 1. q. 4.

DICENDUM EST. Quod una Relatio non
fundat aliam.

PROBARI SOLET I. Non potest esse i-
dem principium Formale, & Radicale in eo-
dem genere, sed si Relatio una fundaret aliam
Relationem, referreturq; per aliam Relatio-
nem idem esset principium Formale & Radi-
cale, Formale quidem, quia Relatio est for-
malitas, unum ad aliud referens, Radicale au-
tem, quia fundaret aliam Relationem. Ma-
ior probatur. Substantia non potest esse Sub-
stantia per aliam Substantiam, Quantitas non
potest dici quanta, per aliam Quantitatem.
Unio non potest dici unita per aliam Unio-
nem, ergo non potest esse idem principium
Formale & Radicale in eodem genere.

RESPONDERI POSSET, Quod non po-
test esse idem principium Formale & Radica-
le reduplicativè acceptum, secus acceptum
materialiter & specificativè, jam autem una
Relatio fundat aliam, non reduplicativè ac-

cepta, quæ est v. g. Relatio similitudinis, sed
fundat illam, specificativè, in quantum scilicet
fundat similitudinem, cum alijs similitudi-
nibus. Substantia verò non potest esse Sub-
stantia per aliam Substantiam, nec Quanti-
tas quanta, per aliam Quantitatem, quia hæc
sunt entia absoluta, quorum unum non potest
ostendi, quod habeat fundamentum, ad fun-
dandum aliud Ens tale acipsum: fundare au-
tem potest similitudo, similitudinem ipsarum
similitudinum. Ex Instantia de Unione Op-
positum sequitur, nam unio, quæ se habet ut
Quo ad unitum, habet se ut Quod respectu
actionis, quam terminat; & sicut cognitio re-
presentativa lapidis habet se ut Quo in ordine
ad representandum, habet se autem ut Quod
in quantum noscitur à reflexu actû, sic & Re-
latio poterit se habere ut Quo in quantum est
ratio referendi, & ut Quod in quantum fun-
dabit aliam Relationem.

PROBARI SOLET II. Relationes Divinæ,
non fundant alias Relationes, & ita, quamvis
Relatio Paternitatis, sit diversa à Relatione
Filiationis, tamen Relatio Paternitatis, non
fundat distinctam à se Relationem diversitatis,
alias plures essent Relationes in Divinis quàm
eas admittat Theologia, ergo & Creatæ Re-
lationes non fundabunt alias Relationes.

RESPONDERI POSSET. Disp. esse, quia
si una Relatio in Divinis fundaret aliam Re-
lationem, darentur plures Personæ in Trinitate
quàm tres, cum Relationibus constituerentur
Personæ, nihil autem simile eveniret in
Creatis.

PROBATUR III. Relatio quæcunq; vel
est similitudo, vel Identitas, vel æqualitas, si
fundetur in unitate, vel est Relatio agentis
& passi, mensuræ & mensurabilis, sed nulla ex
his fundat aliam Relationem: Minor proba-
tur. Relatio Identitatis nemine cogitante,
nihil est præter duas substantias, sed duæ sub-
stantiæ non fundant alias duas, ergo non fun-
dant Relationes identitatis. Rursus æqualitas
in re, est duo quanta, sed duo quanta non fun-
dant alia duo quanta, ergo nec fundant, ra-
tionem distinctam Relationis, & sic de re-
liquis.

CONFIRMATUR, argumento communi.
Si una Relatio fundaret aliam daretur proces-
sus in infinitum in Relationibus, sed hic dari
non debet. Ergo. Minor probatur, Tum quia
Arist. 2. Met. c. 2. probat non posse dari pro-
cessum in infinitum in causis, quia verò una
Relatio causaretur ab alia, hoc ipso daretur
processus in infinitum in causis, imò daretur
Relatio quæ causaret infinitas Relationes, &
aliqua quæ præsupponeret infinitas, & causa-
retur ab illis. Tum quia istæ Relationes &
essent infinitæ ut supponitur, & non essent
infinitæ, quia multitudo infinita, versus unam
partem

partem, finita versus aliam, debet & ipsa esse finita, eadē enim est via Athenis Thebas, & Thebis Athenas, cum ergo ex una parte sint istae relationes finitae deveniunt enim ad primam, quā nondatur prior, ergo & versus aliam partem, debent esse finitae. Et certē duo alba sunt sibi similia, & quidem duabus similitudinibus realiter distinctis. Hę rursus similitudines sunt sibi similes, ergo fundabunt, similitudinem similitudinum. Hę ulterius similitudines similitudinum quia conveniunt in ratione similitudinis similitudinum fundabunt aliam similitudinem similitudinum, & sic in infinitum. Nec se haberent hę Relationes ita sicut negationes; nam negationes accommodant se in nostris principiis entibus quę negant, si autem una relatio fundaret aliam, non jam illę relationes accommodarent se ipsis suis Physicis & entitative sumptis fundamentis.

RESPONDERI solet 1. istas Relationes esse infinitas solum potentia.

CONTRA est. Tum quia una Relatio non est potentia, sed actu talis, ergo & infinitae illę Relationes, non sunt potentia sed actu infinitae. Tū quia unā Relatione posita actu, necessario ponuntur aliae actu, Ergo si sunt infinitae, nō erunt in potentia, sed actu infinitae. Tum quia si partes continui palmaris, quę sunt infinitae potentia, ponerentur omnes actu, essent infinitae actu, Ergo & cum Relationes antequam sint, sunt infinitae in potentia, si omnes ponantur actu, infinitae erunt actu.

RESPONDERI solet 2. Alba esse similia similitudinibus a se realiter distinctis, similitudines verō ipsę, sunt se ipsis similes.

CONTRA est. Quia hoc ipso jam non agnoscis Relationes fundari per Relationes, cum per te similitudo, quę est Relatio, non fundet similitudinem similitudinum, adoque nec fundabit una Relatio aliam. Deinde ut urget Smigl. Similia per oppositos, per distinctam similitudinem, sunt similia, ergo similitudines similitudinum per distinctam similitudinem sunt similes; certē enim primę similitudines, sunt similitudines alborum, posteriores autem, non sunt similitudines alborum, sed similitudines similitudinum, non enim fundantur v. g. in essentia albedinis, sed in essentia similitudinis.

RESPONDET 3. Mastr. d. 8. q. 5. a. 2. Datur inquit status, seu consistentia, in ea scilicet Relatione, cum qua ceterę, quę conciperentur cōfurgere, conveniunt, in Ratione fundandi, & in Ratione referendi, v. g. Duę Paternitates, fundant Relationem similitudinis inter se, si autem similitudo hęc conferatur cum alia quę reperitur inter alias duas Paternitates, se ipsis erunt similes.

CONTRA. Tum quia quę Relationes habent distincta Fundamēta & distinctos Terminos, illę Relationes sunt aliae & multiplicatae & distinctę, sed duarū paternitatum similitudines, com-

paratae ad alias similitudines Paternitatum, habēt distinctū Fundamētum, & distinctos Terminos. Ergo duę paternitatum similitudines, comparatae ad alias paternitatum similitudines, sunt Relationes aliae, multiplicatae, distinctę. Minor probatur principiis Mastrii, qui ad numericā Terminorum multiplicationem, sentit contra Thomistas multiplicari Relationes. Major probatur, quia ipsę paternitates, dum fundant diversam relationem similitudinis, sunt diversum fundamentum, & Terminus, habentq; diversam rationem fundandi, Ergo & ipsę similitudines paternitatum, erunt fundamentum distinctum, & Terminus distinctus, habebuntq; diversam rationem fundandi, quod ipsum resolvitur in principium negativum. Quę ratio probat duarum identitatum, intra eandem speciem esse distinctas numero relationes, distinctasque rationes fundandi, eadem probabit, similitudines duarum paternitatum, esse distinctis similitudinibus similes.

CONTRA 2. Quia per Mastr. Potest esse distincta & Realis relatio, etiam si ratio fundandi sit eadem, ut dictum supra. Ergo quantumvis duę paternitates eandem numero rationē fundandi haberent, possent esse distinctę, & reales relationes.

CONTRA 3. Potest esse Relatio similitudinis paternitatum A, & non esse relatio similitudinis paternitatum B. si illę paternitates v. g. non existant, Ergo alia realiter relatione referuntur inter se similitudines A, & alia referuntur similitudines B, Consequentia probatur. Quia per Oppositos ex eo arguitur distinctio realis relationis a fundamento & Termino, quia potest esse fundamentum & Terminus sine relatione.

OBJICITUR 1. Relatio Similitudinis comparata ad aliam relationem similitudinis, fundat similitudinem similitudinum, ergo una relatio fundat aliam.

RESPONDETUR. Dist. Antecedens. Relatio similitudinis comparata per intellectū ad aliam similitudinem, fundat per rationem similitudinem similitudinum; Conc. Anteced. Relatio similitudinis, secundū id, quod dicit a parte rei, fundat realiter similitudinem similitudinum. Nego antecedens & Conseq. realiter enim spectata similitudo, sunt ipsa alba, ipsa autem alba non fundant alia alba.

INSTAT. Similitudines similitudinum sunt sibi nemine cogitante similes. Ergo una similitudo seu relatio fundat aliam.

RESPONDETUR. Nego antecedens, similitudines enim similitudinum non sunt nemine cogitante, pręter ipsa similia, consequenter, nec sunt nemine cogitante sibi similes. Similitudines enim alborum extra ipsa alba, nihil sunt in re distincti, nec est ulla nemine cogitante similitudo similitudinum, distincta ab illis.

OBJICITUR 2. Relationes ipsę suscipiunt ve-

† Pp

ras

ras denominationes relativas, non minus quam Entia absoluta, nam tam verè sunt sibi duo alba similia, quam verè ipsæ similitudines, sunt sibi similes. Ergo si Entia absoluta fundant relationes reales, fundabunt & ipsæ relationes alias relationes.

RESPONDETUR. Nego anteced. cum sua probatione propter dicta ad primam probationem, & ejus Instantiam.

OBJICITUR 3. Entia absoluta possunt fundare relationem, ergo & ipsæ relationes poterunt.

RESPONDETUR. Nego Conseq. Disparitas est, quia Entia absoluta sunt quid ratum, positivum, nemine cogitante propriam existentiam habens, quod non competit relationibus. Disparitas alia est, quia si absoluta fundent relationem, non sequitur processus in Infinitum, qui sequeretur, si una relatio fundaret aliam. Disparitas denique est, quia fundare absoluta relationem similitudinis, est illa habere qualitatem eandem, quia verò habere qualitatem eandem & esse sibi similia, non fundat habere qualitatem aliam eandem, ideo nec una relatio fundabit aliam.

INSTAT. Binarius hominum, & binarius leonum, sunt numeri diversi, rursus binarius binariorum non est binarius tantum hominum aut binarius tantum leonum, sed est quid constatum ex duobus binariis: Ergo est quid ab utroque distinctum: Ergo ulterius binarius hominum & binarius leonum fundabit binarium binariorum. Ergo ulterius una relatio aliam.

RESPONDETUR. Concedo antecedens quoad utramque partem. Conseq. autem Dist. primum. Ergo binarius binariorum est quid realiter ab utroque binario distinctum. Nego Conseq. Est quid ratione distinctum. Conced. Conseq. Certè enim binarius ille binariorum, non est quid reale ultra binarium hominum, & binarium leonum, sed in re binarius binariorum est binarius leonum & binarius hominum.

OBJICITUR 4. Proportionalitatis analogia, est realis, cum tamen illa sit convenientia convenientiarum, seu fundata convenientia, supra convenientias. Ergo una convenientia potest fundare aliam. Ergo & una relatio aliam.

RESPONDETUR. Proportionalitatis analogia est in hoc realis, quia non est merè ficta, sed non est realis, hoc est nemine cogitante, actu, ultra ipsa proportionalia, imò in re nihil est, præter ipsa proportionalia. v.g. Proportionalitas in ratione Principii conveniens cordi, fonti, auroræ, nihil est, præter fontem, cor, auroram &c. quæ convenire advertendo Intellectus in ratione Principii, potest concipere convenientiam convenientiarum.

OBJICITUR 5. Formalis effectus paternitatis est referre filium ad patrem, & non est effectus illius formalis primarius esse similem, alteri paternitati. Ergo ad illam paternitatem, alia

relatione referri, debet. Ergo una relatio fundabit aliam.

RESPONDETUR. Formalis effectus paternitatis, quæ est forma ex modo nostro concipiendi, est referre filium, ad patrem. Conc. antecedens formalis effectus paternitatis, quæ sit forma nemine cogitante ultra patrem & filium distincta. Nego antecedens. Consequens autem subdistinguo. Ergo ad illam paternitatem, aliâ relatione realiter referri debet. Nego Conf. alia relatione per rationem. Transeat. Ergo ulterius una relatio fundabit aliam realiter. Nego. Per rationem. Transeat.

QUÆSTIO IV.

De Terminis Relationis.

PRÆMITTO 1. Quid sit Terminus? quem dixi supra esse illud aliud, ad quod terminatur relatio.

PRÆMITTO 2. Relationem transcendentalem non requirere Terminos actu Existentes, hinc relatio causæ, est ad effectus quantumvis illi actu non existant, imò potest esse relatio transcendentalis potentia cognoscitiva ad non Ens, ad Chimæram, in quantum illa est cognoscibilis.

PRÆMITTO 3. Relationem predicamentalem requirere Terminum actu existentem.

RATIO. Tum quia relatio predicamentalis, si spectetur secundum quod est nemine cogitante, duo requirit actu, quomodo enim erit pater, qui nunquam genuit? quomodo erit paries similis, si nullum habeat alium parietem, cui sit similis. Tum quia, si est pater qui non habet filium, sed tantum habet possibilem: Ergo & possibilis filius, qui nondum est, habet patrem, hæc enim sunt correlativa, consequenter erit genitus antequam sit. Tum quia si potest esse relatio predicamentalis etiam si non existat terminus: Ergo nullæ sunt de novo relationes predicamentales.

CÆTERUM non existente utroque Termino, quantumvis sine ulla jam reali Relatione (nisi forte ampliativa) possunt tamen aliqua relativas denominationes habere, & ita v.g. dicitur Joannes esse filius Petri, etiam si Petrus sit mortuus, & non existat, non quòd nunc verè sit Relatio, sed quòd ratione habitæ Relationis, hæc denominatio perseveret, adeoque ampliativè. Aliqua tamen, non existente, utroque termino, non habent denominationes relativas, & ita non dicitur pupillus habere Patrem, non dicuntur infantes occisi pro Christo, esse Patres, quantumvis potuerint esse Patres, nec dicitur filius esse pater sui patris, quantumvis possibile foret, ut eum quem aliquis habuit pro patre, haberet pro filio, si aliter Deus ordinasset. Quare autem aliqua sortiantur denominationes relativas, non existente utroque extremo, aliqua non sortiantur, reddit pro ratione Arriaga, consuetudinem, & usum humanum, qui aliquibus pro

micro